qui putabat eaſdem res ſibi competere, hoc cognoſcens intra decem annos inter præſentes, & viginti inter abſentes litem non fuerit conteſtatus: poſſeſſor præſcriptione munitus, firmiter eas habebit.

In AUTHENT. ut ſponſ. larg. §. De præſcriptione. col. 9. tit. 2. Novell. 119. cap. 8.

QUod ſi quis quibuſdam annis præſens ſit, quibuſdam abſens, adjiciuntur ei ſuper decennium tot anni quot annis ex decennio fuit abſens.

Præſcriptio ſortitur effectum re poſſeſſa bona fide cum titulo per longum tempus non interruptum. Bald.

2. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC.

LOngi [1] temporis præſcriptio his, qui bona [2] fide acceptam poſſeſſionem, & continuatam [3], nec interruptam [4] inquietudine [5] litis tenuerunt, ſolet patrocinari. PP. 5. Kalend. Decemb. MAXIMO II. & AQUILINO CONSS. 286.

3. Iidem AA. & CC. Antonio.

SI vineæ, quas mater tua vitrico tuo in [6] dotem dedit, tuæ proprietatis ſunt, nec [7] ulla præſcriptio ex tranſacti temporis prolixitate adolevit: Præſes provinciæ reſtitui tibi eas efficiet.

Sine titulo non procedit uſucapio longi temporis. Bald.

4. Iidem AA. & CC. Hermogeni.

DIutina poſſeſſio tantum jure [8] ſucceſſionis ſine juſto titulo [9] obtenta, prodeſſe ad præſcriptionem hac ſola ratione non poteſt. PP. *Sirmii*, 4. Id. April. AA. CONSS.

Error domini præſtans patrocinium alteri in re propria, vel etiam effectus non tribuit poſſeſſori titulum. Bald.

5. Iidem AA. & CC. Soterico.

NEc petentem dominium ab eo, cui petentis ſolus error [10] cauſam poſſeſſionis ſine vero titulo præſtitit, ſilentii longi temporis præſcriptione repelli, juris evidentiſſimi eſt. S. *Sirmii*, 11. Kalend. Maji, AA. CONSS.

Dolus dans cauſam contractui bonæ fidei, invalidat titulum ad præſcriptionem temporis longi. Salic.

6. Pars ex Epiſtola eorundem AA. & CC. ad Primoſum Præſidem Syriæ.

SI [11] fraude [12], & dolo (licet inter majores vigintiquinque annis) facta venditio eſt, hanc confirmare [13] non potuit conſequens tempus, cum longi temporis præſcriptio in malæ [14] fidei contractibus locum non habeat.

Inſtrumentorum amiſſio, vel ſubtractio non præjudicat præſcriptione munito. Salic.

7. Iidem AA. & CC. Anteæ.

LOngi temporis, poſſeſſione munitis inſtrumentorum amiſſio [15] nihil juris aufert: nec diuturnitate poſſeſſionis partam ſecuritatem maleficium [16] alterius turbare poteſt. Dat. Prid. Kalend. Januar. AA. CONSS.

Adoptio invalida, vel error juris non eſt ſufficiens ad præſcriptionem longi temporis. Salic.

8. Iidem AA. & CC. Celſo.

SI is, contra quem ſupplicas, matris tuæ quondam mancipia quaſi filius ex cauſa tantum adoptionis [17] defendit: affectio deſtinatæ, ac illicitæ [18] adoptionis ad horum dominium ei quærendum ſola non ſufficit. Quapropter mancipia petere non prohiberis, nullam timens [temporis] præſcriptionem: ſi hoc tantum initio præcedente is, contra quem ſupplicas, horum poſſeſſionem adeptus eſt.

Exceptio præſcriptionis non poteſt opponi in initio, ſed probanda venit fundata intentione actoris. Bald.

9. Iidem AA. & CC. Demoſtheni.

EMptor [19] bona fide contra præſentem [20] decennii præſcriptione, [in] cujus initio [21] conteſtationem haberi ſufficit, poſteaquam ſuam impleverit intentionem petitor, adhibita probatione juſtæ poſſeſſionis defenſus, abſolvi recte poſtulat.

Uſucapio longi temporis litis conteſtatione interrumpitur. Bald.

10. Iidem AA. & CC. Rhegino.

NEc bona fide poſſeſſionem adeptis longi temporis præſcriptio poſt moram litis conteſtatæ completa proficit [22]: cum poſt [23] motam controverſiam in præteritum [24] æſtimetur. Dat. Id. Decembr. CC. CONSS.

11. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P. P.

SUper longi temporis præſcriptione, quæ ex decem, vel viginti annis introducitur, perſpicuo jure ſancimus, ut ſive ex una ſive ex alia lucrativa [25] cauſa bona fide quis per decem, vel viginti annos rem detinuiſſe probetur, adjecto [26] [ſcilicet] tempore etiam [27] prioris [28] poſſeſſoris: memorata longi temporis exceptione dubio ei competat, nec occaſione lucrativæ cauſæ repellatur. Dat. Kal. Jul. DN. JUSTIN. PP. A. CONS. 528.

Præſcriptio longi temporis inter præſentes completur decennio, inter abſentes vicennio; & præſentes dicuntur, quando uterque habet domicilium in eadem provincia, licet non in eadem civitate. Salic.

12. Idem A. Joanni P. P.

CUm in longi temporis præſcriptione tres emergebant veteribus ambiguitates: prima, propter res [29], ubi poſitæ ſunt: ſecunda, propter perſonas [30], ſive utriuſque ſive alterutrius præſentiam exigimus: & tertia, ſi in [31] eadem provincia, vel in eadem civitate debent eſſe perſonæ tam petentis, quam poſſidentis, & res, pro qua certatur: omnes [eas] præſentis legis amplectimur definitione [32], ut nihil citra eam relinquatur. † Sancimus itaque debere in hujuſmodi ſpecie, utriuſque perſonæ, tam petentis, quam poſſidentis ſpectari domicilium: ut tam is qui dominii vel hypothecæ quæſtionem inducit, quam is qui res poſſidet, domicilium habeant in uno loco, id eſt, in una provincia [33]: hoc enim magis nobis eligendum videtur: ut non [34] [in] civitate concludatur domicilium, ſed in provincia: & ſi uterque domicilium in eadem habeat provincia, cauſam inter præſentes eſſe videri, & decennii [magis] præſcriptione agentem excludi. † De rebus autem de quibus dubitatio eſt, nulla erit differentia, ſive [35] in eadem provincia ſint, ſive in vicinia, vel trans mare poſitæ, vel longo ſpatio ſeparatæ. Sin autem non [36] in eadem provincia uterque domicilium habeat, ſed alter in alia, alter in altera: tunc ut inter abſentes cauſam diſceptari, & locum [37] eſſe viginti annorum exceptioni. Nihil enim prohibet ſive in eadem provincia conſtitutæ ſint, ſive in alia, ſuper his controverſiam in judicio provinciali moveri, & multo magis in hac florentiſſima civitate. Quid enim prodeſt in ipſa provincia eſſe poſſeſſionem, an in alia: cum jus vindicationis incorporale eſt, & ubicunque [38] res poſitæ ſunt, & dominum earum, & vinculum ad dominum, vel creditorem poſſit reverti? Ideo enim noſtri majores ſubtiliſſimo animo, & divino quodam motu ad actiones, & earum jura pervenerunt, ut incorporalia [39] conſtituta poſſint ubicunque poſitis rebus ſuum effectum corporalem extendere. Sit igitur ſecundum hanc definitionem cauſa perfectiſſime compoſita, & nemo poſthac dubitet, neque inter præſentes, neque inter abſentes, quid ſtatuendum ſit: ut bono initio poſſeſſionem tenentis, & utriuſque partis domicilio requiſito expedita quæſtio pro rebus ubicunque poſitis: nulla [40] ſcientia, vel ignorantia exſpectanda, ne altera dubitationis inextricabilis oriatur occaſio. † Eodem obſervando, & ſi res non ſoli ſint, ſed incorporales, quæ in jure [41] conſiſtunt, veluti uſusfructus, & cæteræ ſervitutes.

TIT. XXXIV.

IN QUIBUS CAUSIS CESSAT [42] LONGI TEMPORIS PRÆSCRIPTIO.

Colonus ſubtrahendo inſtrumenta conductionis, non per hoc mutat cauſam poſſidendi, & ideo non præſcribit. Bald.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIMIAN. AA. & CC. Marcellinæ.

SI is, cui colendum [43] fundum dediſti, poſt inſtrumenta, quibus dominium ad te pertinere probari poſſet, per novercam tuam ſubtraxit [44]: hoc ſola præſcriptione [longi] temporis defendi non poteſt.

2. Iidem AA. & CC. Dionyſio.

IN ſervorum [45] proprietatis negotio cum uſucapio locum habeat, ad quæſtionem longi temporis præſcriptionis ſuperfluo pervenitur.

1 Præſcriptio longi temporis prodeſt his qui bona fide poſſederunt, nec ullam conteſtationem litis ſuſtinuerunt. *Synopſ. Baſil.* 50. *tit.* 11. *c.* 2. ubi Scholiaſtes ſeparat δίκην, ſeu προκάταρξιν, & ὄχλησιν, litem ſive conteſtationem ab inquietatione: ut prior uſucapionem interrumpat, non poſterior. 2 *l.* 27. *ff. de contrah. empt.* 3 *l.* 3. *ff. de uſurpat.* 4 *l.* 1. Ꞩ. *h. t. l.* 10. Ꞩ. *tit. prox.* 5 Præſcriptio interrumpitur litis conteſtatione. *l.* 1. Ꞩ. *l.* 10. Ĵ. *h. t. l.* 10. Ꞩ. *tit. prox.* 6 Res aliena in dotem dari non poteſt: ſi tamen data fuerit, uſucapi poterit. 7 *l.* 4. Ꞩ. *de rei vind. l.* 2. *l.* 5. Ꞩ. *de reb. alien. l.* 4. Ꞩ. *de uſuc. pro empt.* 8 *l.* 4. Ꞩ. *de uſucap. pro hered.* 9 Sine titulo non eſt uſucapio: adde *l. unic.* Ꞩ. *de uſuc. transform.* 10 Si per errorem cauſam poſſeſſionis meæ tibi præſtiti, poſſum nihilominus rem meam vindicare, neque mihi oberit longi temporis præſcriptio. 11 Præſcriptio longi temporis emptionem dolo factam confirmare non poteſt: quum mala fide poſſidere quis incipiat. *Syn. ibid. c.* 6. 12 Contractus bonæ fidei, titulus eſt: niſi dolus cauſam illi dederit. Tunc enim titulus non eſt, ac proinde ex illo non præſcribitur. 13 Dixi ad *l.* 1. Ꞩ. *de reſcindenda.* 14 Malæ fidei poſſeſſor non præſcribit. vid. *c.* 2. & ibi Dynum *de reg. in* 6. 15 Inſtrumenti amiſſio non nocet præſcriptioni, ſi modo de jure poſſeſſionis aliter probari poteſt. *l.* 6. *l.* 8. *l.* 10. *in fin.* Ꞩ. *de fide inſtr. l.* 1. Ĵ. *in quibus cauſ. ceſſat longi temp.* 16 Id eſt, inſtrumenti fraudulenta ſubtractio. 17 *l.* 10. Ꞩ. *de ſuis.* 18 Mulieres non adoptant, vide tamen *l.* 5. Ĵ. & §. 10. *Inſt. de adopt.* nec enim liberos habent in poteſtate. dixi ad *Nov. Leon.* 28. & ita quod poſſident illegitime adoptati non præſcribunt. 19 Præſcriptione longi temporis bonæ fidei emptor munitus auctori exceptionem objiciens, poſtea quam petitor dominium ſuum probaverit, adhibita probatione juſtæ poſſeſſionis abſolvendus eſt. *Syn.* 50. *tit.* 1. *c.* 9. 20 *Inſtit. de uſuc. l. unic.* Ꞩ. *de uſuc. transform. l.* 7. Ĵ. *quibus non objic.* 21 Exceptio præſcriptionis initio litis opponitur, poſt litem conteſtatam probatur. 22 Præſcriptio litis conteſtatione interrumpitur. *l.* 1. *l.* 2. Ꞩ. *h. t.* 23 Vid. *l.* 10. Ꞩ. *tit. prox.* 24 *l.* 26. *in fin.* Ꞩ. *de rei vind.* id eſt, prorogetur. 25 In cauſis etiam lucrativis præſcriptio, & longa poſſeſſio poſſeſſorem defendit. *l.* 26. *ff. de adquir. vel amitt. poſſeſſ.* 26 *l.* 2. §. 20. *ff. pro emptore.* hinc colligunt præſumi medio tempore poſſediſſe, qui hodie & ante decennium poſſederit. Probatis enim extremis, probantur media. vid. Alciat. 2. *præſumt.* 21. 27 In præſcriptione longi temporis decem, vel viginti annorum, etiam tempus prioris poſſeſſoris computatur. *Synopſ. Baſil.* 50. *tit.* 11. *c.* 10. & 2. Harm. 1. §. 72. 28 *l.* 11. *ff. de diverſ. temporalib.* 29 De rebus. 30 De perſonis. 31 De præſentia. 32 Hæc lex juncta *l. corruptionem. C. de uſufruct.* continet 44. deciſ. ex 50. novis Juſtin. vid. apud Inglois *deciſ.* 44. *quæſt.* 1. *n.* 1. Anſ. 33 Præſentes dicuntur, qui in eadem civitate domicilium habent. 34 Domicilium urbe non circumſcribitur, ſed provincia. 35 In præſcriptione ſitus rerum non habetur ratio: nam & procul diſſitas præſcribimus. 36 Abſentes dicuntur qui non ſunt in eadem provincia. 37 Præſcriptio igitur currit contra ignorantem, *ut hic.* Imo non currit. *l.* 7. Ĵ. *qui militare.* Solve: Non currit, quod ad incommodum: ſecus quod ad commodum, *d. l.* 7. Alii putant currere, ſed reſtitutionem dari. Bart. *in l.* 1. §. *ſi quis autem.* 8. *ff. de itinere.* Quid ſi juſta ſit ignorantia? currit quidem præſcriptio: datur tamen reſtitutio adverſus præſcribentem. Bart. *in l.* 1. §. *ſi quis propter.* 9. *ff. de itinere.* Quid ſi de ſervitute præſcribenda agitur? non currit adverſus ignorantem præſcriptio: cum in ſervitutibus præſcribendis requiratur ſcientia domini, *Gloſſ. in l.* 2. Ꞩ. *de ſervit.* Aliam exceptionem vide apud Socinum *reg.* 305. 38 Facit *l.* 1. Ꞩ. *de contrah. emptione. l.* 15. Ꞩ. *de reſcind.* 39 Incorporalia jura etiam longe diſſita præſcribimus. 40 Uno caſu id inductum, *Nov.* 119. *c.* 7. puta, ſi a malæ fidei poſſeſſore quis rem bona fide accepit. Nam ſi ſciente domino, locum habet præſcriptio: ſi ignorante, ceſſat. 41 In jure conſiſtunt uſusfructus & ſervitutes.

42 Id eſt, in quibus actionibus majoris temporis quam longi præſcriptio requiritur. 43 Vid. *l. un.* Ꞩ. *de uſucap. transformanda. l.* 1. Ꞩ. *comm. de uſuc. l.* 2. Ĵ. *de præſcr.* 30. *vel* 40. *annor.* 44 Vid. *l.* 7. Ꞩ. *de præſcript. longi temporis.* 45 Mobilia, ut ſervi (niſi cohæreant fundo, ut mancipia ruſtica: tunc enim ſervus pro parte ruris & fundi habetur. *l.* 3. *ff. de diverſ. temporal. l.* 9. *ff. eod.* Sunt immobilia quæcunque rebus immobilibus adhærent) uſucapiuntur triennio. Ideoque ceſſat quæſtio præſcriptionis, ubi de re mobili agitur: atque ita de præſcriptione longi temporis in rebus mobilibus quærere ſuperfluum eſt, quum in illis uſucapio triennii locum habeat. *Synopſ.* 50. *tit.* 12.

Actio

Actio familiæ erciſcundæ, vel communi dividundo non tollitur tempore. Salic.

3. Iidem AA. & CC. Apollinari.

UNus individuum [1] commune [2] pro ſolido poſſidens intervallo [longi] temporis, quominus ſocius portionem vindicare, vel eum communi dividundo judicio provocare poſſit, non defenditur: cum neque familiæ erciſcundæ [3] judicium, neque communi dividundo actio excludatur longi [4] temporis præſcriptione. 3. Kal. April. *Sirmii*, CC. CONSS.

Petitioni hereditatis non præſcribitur longo tempore, ſalvo niſi poſſeſſor cum titulo, & bona fide dominium uſuceperit. Baldus.

4. Iidem AA. & CC. Libroæ.

HEreditatem [5] quidem petentibus longi [6] temporis præſcriptio nocere non poteſt, verum his, qui nec pro herede, nec pro poſſeſſore, ſed pro empto, vel donato, ſeu alio titulo res, quæ ex hereditate ſunt, vel fuerunt, poſſident: cum ab [7] his ſucceſſio vindicari non poſſit, nihil hæc juris definitio nocet. 3. Id. Septembris.

Sine titulo non procedit longi temporis præſcriptio, & pro expenſis juſtis datur retentio. Salic.

5. Iidem AA. & CC. Hoſimo.

SI puerum non pro derelicto habitum, ſed ab hoſtibus vulneratum, ſumptibus tuis (ſicut adſeveras) liberum exiſtimans curaſti [8]: longi temporis præſcriptione, quominus dominus ejus offerens erogata recte [9] vindicet, defendi non potes.

TIT. XXXV.

QUIBUS [10] NON OBJICITUR LONGI TEMPORIS PRÆSCRIPTIO.

Militi in expeditione exiſtente, in effectu non currit præſcriptio. Salic.

1. Imp. ALEXANDER A. Venulejo.

TEmpus expeditionis [11] adverſus petitiones, ſi quæ competiſſe juſte probari poſſunt, præſcriptionem non parit. 6. Non. Jul. JULIANO, & CRISPO CONSS. 225.

Fruſtra precibus impetratur, quod per reſtitutionem in integrum conceditur.

2. Impp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA. & CC. Aurelio Archiatro [12].

CUm per abſentiam [13] tuam eos, de quibus quereris, in res juris tui irruiſſe adſeveres, teque ob medendi [14] curam a Comitatu noſtro diſcedere non poſſe palam ſit: Præfectus prætorio noſter accerſitis his, quos cauſa contingit, inter vos cognoſcet. Non [15] neceſſario autem petis ex longi temporis diuturnitate præſcriptionem tibi non opponi, quando juſtæ abſentiæ ratio, & neceſſitatis publicæ obſequium ab hujuſmodi præjudicio te defendat. PP. 15. Kal. Mart. *Nicomediæ*, MAX. II. & AQUIL. CONSS. 286.

Præſcriptio longi temporis non currit minori. Salic.

3. Iidem AA. & CC. Numidio Correctori Italiæ.

NOn [16] eſt incognitum, id [17] temporis, quod in minori [18] ætate tranſmiſſum eſt, longi temporis præſcriptioni non imputari: ea enim tunc [19] currere incipit, quando ad majorem ætatem dominus rei pervenerit. PP. 4. Id. Septembr. ipſis IV. & III. AA. CONSS. 290.

Abſenti reipublicæ cauſa, vel fortuito, non obſtat præſcriptio. Salic.

4. Iidem AA. & CC. Criſpino.

SI poſſeſſio inconcuſſa ſine controverſia perſeveravit: firmitatem ſuam teneat objecta præſcriptio, quam contra abſentes, vel Reipublicæ [20] cauſa, vel maxime fortuito caſu, nequaquam valere, decernimus. PP. 6. Kalend. Mart. ANNIBALIANO, & ASCLEPIODOTO CONSS. 292.

Perſonales actiones regulariter non tolluntur longi temporis præſcriptione. Salic.

5. Iidem AA. & CC. Januario.

NEque [21] mutui, neque commodati, aut depoſiti, ſeu legati, vel fideicommiſſi, vel tutelæ, ſeu alii cuilibet perſonali [22] actioni longi temporis præſcriptionem objici poſſe, certi juris eſt. S. Kal. Februar. AA. CONSS.

Reverſus de captivitate rem non præſcriptam vindicat actione directa: præſcriptam vero utili reſciſſoria reſtitutione præhabita. Salic.

6. Iidem AA. & CC. Dulcio.

AB hoſtibus captus [23], ac poſtliminio reverſus, actione in rem directa, vel qualibet alia dominium vindicando, temporis adverſarii poſſeſſionem fruſtra times: cum adverſus [24] eos, qui reſtitutionis auxilio quacunque ratione juvantur, hujuſmodi factum non opituletur.

Præſcriptio temporis contra præſentem, finitur annis decem: contra abſentem, annis viginti.

7. Iidem AA. & CC. Caſſandro.

PRæſcriptione bona fide poſſidentes adverſus præſentes annorum decem [25], abſentes autem viginti muniuntur. Quod ſi ex alicujus perſona [26] de petitorum parte reſtitutionis prætendatur auxilium: deducto eo, quo, ſi quid fuerit geſtum, ſuccurri ſolet, reſiduum computari, rationis eſt.

Militibus in expeditione degentibus adverſus præſcriptionem contra eos inchoatam ſuccurritur, non delicatis in domo ſua manentibus.

8. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P. P.

SAncimus his ſolis militibus, qui expeditionibus occupati ſunt, ea tantummodo tempora, quæ in eadem expeditione percurrunt, in exceptionibus declinandis opitulari: illis temporibus, per quæ citra [27] expeditionum neceſſitatem in aliis locis, vel in ſuis ædibus [28] degunt, minime eos ad vindicandum hoc privilegium adjuvantibus. Dat. Kalend. April. *Conſtantinop.* DECIO CONS. 529.

TIT. XXXVI.

SI ADVERSUS CREDITOREM PRÆSCRIPTIO OPPONATUR.

Extraneus pignorum poſſeſſor titulo, & bona fide præſcribit hypothecariæ actioni ſpatio temporis longi, perſonali contra debitorem ſalva manente. Salic.

1. Imp. GORDIANUS A. Veneriæ.

DIuturnum ſilentium [29] longi temporis præſcriptione corroboratum, creditoribus pignus [30] perſequentibus inefficacem actionem conſtituit: præterquam [31] ſi debitores, vel qui in eorum jura ſucceſſerunt, obligatæ rei poſſeſſioni incumbant. Ubi autem creditori a poſſeſſore longi temporis præſcriptio objicitur, perſonalis actio adverſus debitorem ſalva ei competit.

Actio perſonalis contra ſolum obligatum dirigitur, & ejus heredes, hypothecaria, contra poſſeſſorem, qui longo tempore adverſus creditorem præſcribit. Bald.

2. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. [& CC.] Marcellæ.

SI debitori heres [32] non extitiſti, ſed juſta viginti annorum poſſeſſione collata in te donatio [33] corroborata eſt: neque perſonali [34] actione, quia debitori non ſucceſſiſti, convenire te juris ratio permittit: neque data pignori prædia poſt intervallum longi temporis tibi auferenda ſunt: quando etiam præſentibus creditoribus decem annorum præſcriptionem opponi poſſe, tam reſcriptis noſtris, quam priorum Principum ſtatutis probatum ſit.

1 Id eſt, nondum diviſum. 2 Actioni mixtæ non præſcribitur longo tempore. 3 *l.* 1. §. 1. *verſ. nemo.* Ĵ. *de annali except. l.* 22. Ꞩ. *familiæ. l. ult. ff. pro dot.* excipe *l.* 1. Ꞩ. *de com. rer. alien.* 4 Præſcriptione longi temporis, hoc eſt, decem vel viginti annorum non excluditur actio familiæ erciſcundæ, & communi dividundo, ſed triginta tantum annorum præſcriptione. *Synopſ. Baſil.* 50. *tit.* 12. *c.* 3. 2. Harm. 1. §. 53. 5 Petitio hereditatis non præſcribitur longo tempore. *l.* 8. Ꞩ. *de jur. delib. Synopſ. Baſil.* 50. *tit.* 22. *c.* 4. 2. Harm. 2. §. 8. niſi poſſeſſor cum titulo & bona fide dominium uſuceperit: hoc eſt, ſi quis alio titulo poſſidens uſuceperit, tutus eſt; nec enim actione petitionis hereditatis conveniri poteſt. *Synopſ. Baſil.* 50. *tit.* 12. *cap.* 4. 6 Decennii ſpatio inter præſentes, vicennio inter abſentes. *l.* 12. Ꞩ. *tit. prox.* 7 Petitio hereditatis non datur contra titulo poſſidentem, *ut hic*, & *l.* 1. Ꞩ. *de inoffic.* niſi quinque caſibus, puta ſi venditor hereditatis abſit nec compareat. *l.* 13. §. 4. *ff. de hered. pet.* ſi hereditas modico diſtracta ſit. *dict. l.* 13. §. 5. ſi ſciente emptore comparata. *d. l.* 13. §. 8. ſi empta ſit a fiſco. *d. l.* 13. §. 9. ſi titulus habetur pro non titulo. *d. l.* 13. §. 1. Datur itaque petitio hereditatis, quæ mixta eſt actio, adverſus eum qui ſine titulo poſſidet, nec tollitur longi temporis præſcriptione. 8 Qui puerum alienum vulneratum curat, eum poſſidet, non animo domini, qui ita poſſidet, non præſcribit adverſus dominum. 9 Alias niſi offerret expenſas, locus eſſet retentioni. 10 50. *Eclog.* 12. 11 Militibus non objicitur longi temporis præſcriptio. vid. Ꞩ. *de reſtit. milit.* 12 *Archiatri* qui ſint, dixi in *l.* 6. 9. 10. Ĵ. *de profeſſoribus & medicis lib.* 10. *tit.* 52. adde *l.* 8. Ĵ. *de metatis. lib.* 12. *tit.* 41. 13 Abſenti neceſſaria & publica de cauſa non objicitur præſcriptio longi temporis. 14 Qui ſunt in comitatu principis medici, abſunt neceſſaria de cauſa. 15 Fruſtra precibus a principe impetratur, quod per reſtitutionem jure communi conceditur. 16 *l.* 1. *in fin. l. ult.* Ꞩ. *ſi quis ignorans rem minoris.* ut mirum ſit, Juſtinianum hujuſce juris conſtitutionem ſibi adrogare. *l. ult.* Ꞩ. *in quib. cauſ. in integr. reſt.* 17 Cum decem vel viginti annorum tempore non computatur id tempus, quo quis minor vigintiquinque annis fuit. Nam præſcriptio tunc incipit currere, quando ad majorem ætatem dominus pervenerit, hoc eſt, cum annum viceſimum quintum compleverit. *Synopſ. Baſil.* 52. *tit.* 12. *c.* 7. 18 Minori non objicitur præſcriptio longi temporis. 19 Quando incipit currere præſcriptio adverſus minorem? vid. *l.* 5. Ꞩ. *in quibus cauſis in integrum reſtitutio. l.* 3. Ĵ. *de præſcript.* 30. *vel* 40. *annorum.* 20 Abſenti reipublicæ cauſa vel fortuito caſu, non obſtat præſcriptio longi temporis, *ut hic. Synopſ. Baſil. ibid. c.* 7. *in pr.* 21 Præſcriptio longi temporis non obſtat mutuo, commodato, depoſito, legato, fideicommiſſo, tutelæ, nec alii cuilibet actioni perſonali, *ut hic. Synopſ. d. loco.* ut plenius mox dicetur. 22 Hodie perſonales actiones præſcribuntur 30. annis. *l.* 3. *verſ. ult.* Ĵ. *de præſcr.* 30. *vel* 40. *ann. l.* 1. §. 1. Ĵ. *de annali.* 23 Captus ab hoſtibus & ab iiſdem reverſus, adverſus præſcriptionem reſtituitur. 24 Adverſus eum qui reſtitui poteſt, præſcriptio non juvat. 25 Vid. *l.* 12. Ꞩ. *de præſcr. longi temporis.* 26 Præſcriptio longi temporis non objicitur agenti in perſonam. vid. *l.* 3. Ꞩ. *tit. prox.* 27 Tempus voluntariæ abſentiæ militem non tuetur adverſus præſcriptionem. Voluntarie miles abeſt, quoties in expeditione non eſt: ſed alio loco citra cauſam expeditionis. 28 Dixi ad *l.* 18. Ꞩ. *de epiſc. aud.* quod iterum retractare non pigebit. Quæri enim merito poteſt: cur in ſuis ſedibus vel ædibus (Ædes enim veræ militum foſſata, ſtationes, caſtra ipſa) privilegio militari non fruantur: aut cur cum in illis ſunt, abeſſe Reipublicæ cauſa non dicantur? eo magis quod niſi & in illis locis conſtituti privilegio militari fruantur, exiguo admodum tempore beneficium militare duraturum eis ſit, ſi in momentum ſolum expeditionis & procinctus tempus extenditur, neque ad ſtationum militarium tempora porrigetur. Denique nulla mihi videtur ratio, ut cum in ſuis ſedetis, vel hybernis ſunt (*en garniſon*) privilegio ſpolientur, cum vel eo temporis ſpatio annonas militares accipiant. *l.* 18. Ꞩ. *de epiſcop. audient. l.* 2. *C. Theod. de domeſticis & protectoribus. lib.* 6. *tit.* 24. ut mihi ſuſpicio magna juſtaque ſit, *hic & in l. ult.* Ꞩ. *de reſtit. militum.* (ubi hæc conſtitutio totidem verbis repetitur) & verſ. *illis autem temporibus*, & apud Theoph. *Inſtit. de militari teſtamento*, legendum, *milites non juvari:* eos jure denique militari in teſtando non frui cum citra expeditionis neceſſitatem in aliis locis quam in ſuis ædibus, εἰ μὴ ἐν τοῖς λεγομένοις αὐτῶν ἐν σεδέτοις degunt: ut loco τῶν vel legamus, εἰ μὴ, id eſt, *quam.* Quod & Theophilus ſatis indicat, cum ſedeta exponit, ἔνθα διάγειν αὐτοὺς ἀνάγκη, loca in quibus milites agere neceſſe ſit. Quid quod vix a paganis different milites, ſi in expeditione tantum militari eo beneficio fruentur: cum pagani ipſi in expeditione etiam jure militari teſtari poſſint. *l. ult. ff. de teſt. mil.* propter memoriam legum, cæterarumque diſciplinarum locis illis intermortuam: ut defendi merito poſſe videatur, milites cum in ædibus ſuis poſiti, hoc eſt, cum in foſſatis, ſtationibus & caſtris militares annonas accipiunt & neceſſario abeſſe dicuntur, ibidem eos jure militari teſtari poſſe, præſcriptionem adverſus eos non currere, reſtitutionis beneficio dignos eſſe, ut a paganis vel in eo differant, neve beneficium militare ad id tantum tempus referatur, quo in procinctu & expeditione ſunt, quod nimis exiguum & breve eſt, & alioquin placet quod a Baldo notatum eſt *l. ult.* Ꞩ. *de reſt. mil.* militiam nudam ac ſolam non præbere beneficium reſtitutionis in integrum, ſed occupationem: occupationem, inquam, circa res militares: quarum pars non minima eſt in hybernis ſtationibus, ſedetis, ſedibus ſeu ædibus, caſtris denique ipſis & foſſatis excubatione atque mora. Poſſis tamen & hunc locum ſic accipere: Miles non fruitur privilegio militari, quoties non militaribus locis, vel quoties in ſuis ædibus citra expeditionis neceſſitatem moratur.

29 Intellectum harum duarum legum vid. apud Sarmient. *lib.* 2. *cap.* 9. & Hartmann. Piſtor. *quæſt.* 38. *numer.* 18. & 24. Anſ. 30 Præſcriptio longi temporis excludit non tantum in rem actionem ſed & hypothecariam, *ut hic. l. ult. verſ. ſancimus.* Ꞩ. *de præſc. longi tempor. l.* 7. *l. ult.* Ꞩ. *de obl. & action. l.* 19. Ĵ. *de evict.* 31 Extraneus pignoris poſſeſſor, titulo & bona fide pignus longo tempore poteſt præſcribere: perſonali contra debitorem manente. Debitor vero heresve ejus, *ut hic.* & *l.* 2. Ĵ. *h. t.* pignus non præſcribit etiam longo tempore. 32 Vid. *l.* 1. Ꞩ. *h. t.* 33 Donatarius longo tempore pignus poteſt præſcribere. 34 Perſonalis actio non competit adverſus extraneum pignoris poſſeſſorem: ſed hypothecaria.

TIT.

TIT. XXXVII.
DE QUADRIENNII [1] PRÆSCRIPTIONE.

Contra fiſcum præſcribitur quadriennio continuo.

1. Imp. CONSTANTINUS A. ad Orphitum P. V.

NOtum eſt, a fiſco quæſtionem poſt quadriennium [continuum] ſuper bonis vacantibus [2] inchoandam non eſſe. Additum eſt & eos, qui noſtra largitate [3] nituntur, nulla inquietudine laceſſendos: nec his a fiſco noſtro controverſiam commovendam, qui quoquo modo, aut titulo eaſdem res poſſederint.

Qui rem alienam emit a fiſco illam vendente ut propriam, vel qui eam conſecutus eſt a principe, ut fiſcalem, non poteſt a domino, nec ab aliis jus in re prætendentibus, inquietari. Salic.

2. Imp. ZENO [4] A. Æneæ Comiti rerum privatarum.

OMnes [5], qui quaſcunque res mobiles, vel immobiles, ſeu ſe [6] moventes, vel in actionibus, aut quocunque jure conſtitutas, a ſacratiſſimo ærario [7] comparaverint [8]: eos quin etiam quibuſcunque res mobiles, ſeu immobiles, ſeu ſe moventes, aut in actionibus, vel quocunque jure conſtitutæ, munificentiæ [9] principalis nomine datæ fuerint, omnibus pariter privilegiis quæ ex divinis ſanctionibus inclytæ recordationis Leonis, & noſtræ pietatis ſuper certis patrimoniis antea emptores conſecuti ſunt, perpotiri [ſancimus:] & ita cunctos hujuſmodi beneficiis, ſeu privilegiis perfrui, tanquam ſi ſuper ſingulis ſubſtantiis ſeu patrimoniis etiam nunc, vel poſtea data fuiſſet hujuſmodi diſpoſitio: nec [10] poſſe contra emptores prædictarum rerum factos jam, [vel futuros,] vel contra eos quibus ſuper hujuſmodi rebus largitas noſtra delata eſt, vel fuerit, aliquas actiones in rem [11], dominii, vel hypothecæ [12] gratia, vel in perſonam [13] civiles, ſeu prætorias, vel ex legibus, ſeu ſacratiſſimis conſtitutionibus deſcendentes, vel quaslibet alias (licet [14] nominatim præſenti ſanctione non ſint comprehenſæ) moveri: data volentibus licentia intra quadriennium contra ſacratiſſimum ærarium, ſi quas ſibi competere actiones exiſtimant, exercere: ita tamen, ut poſt elapſum quadriennium, nec [15] ſacratiſſimum fiſcum licere ſibimet quibuslibet actionibus pulſare cognoſcant.

Si officialis fiſci vendens confiteatur ſibi pretium eſſe numeratum, perpetuo eſt ſecurus emptor.

§. 1. Ad hæc fiſcalium rerum emptoribus cum ratione juſtitiæ conſulentes jubemus, quoties competens ſcrinium [16] geſtis intervenientibus diſtractarum rerum pretia ſeſe depoſuerit ſuſcepiſſe, minime poſt hujuſmodi ſolutæ pecuniæ depoſitionem emptores, quaſi non numeratis pecuniis moleſtari, vel neceſſitatem iisdem emptoribus imponi (licet non ſolennem conſecuti fuerint ſecuritatem) ſoluta fuiſſe pretia probare. Sed cum ſit in arbitrio pretia ſuſcipientis minime deponere, ſeſe, quod non acceperit, ſuſcepiſſe: ita convenit nec emptores pleniſſimam ex hujuſmodi depoſitione ſuper pretii ſolutione ſecuritatem conſecutos, ullum (ſicut dictum eſt) ulterius probationis gravamen penitus formidare.

Fiſcus, vel procurator Cæſaris non tenetur de evictione promittere. Salic.

3. Imp. JUSTINIANUS [17] A. Floro Comiti rerum privatarum, & Curatori dominicæ [18] domus, & Petro viro illuſtri Curatori divinæ domus ſereniſſimæ Auguſtæ, & Macedonio viro illuſtri Curatori & ipſi dominicæ domus [ſereniſſimæ Auguſtæ].

BEne a Zenone [19] divæ memoriæ fiſcalibus [20] alienationibus proſpectum eſt [21], ne [22] homines, qui ex noſtro ærario donationis, vel emptionis, vel cujuslibet alienationis titulo quicquam accipiunt, ſi quid circa contractum contrarium emerſerit, vel evictionis, vel alterius inquietudinis gratia, ad dominium, vel hypothecam reſpiciens, aliquod ſuſtineant detrimentum, ſed adverſus emptores quidem, vel donationem accipientes, vel per alios titulos alienationis quicquam detinentes minime quæcunque actiones moveantur: ſed tantummodo contra ærarium usque ad quadriennium tantum: quo translapſo, neque adverſus fiſcum aliqua remaneat actio. Sed ſcimus hoc quidem in fiſcalibus alienationibus gnaviter obſervari: ſed non ſimili modo rem fuiſſe obſervatam circa eas res, quæ a ſacratiſſimis Imperatoribus [23], non a fiſcalibus rebus, ſed ex privata [24] eorum ſubſtantia procedunt: quod ſatis irrationabile eſt. Quæ enim differentia introducitur, cum [25] omnia Principis eſſe intelligantur, ſive ex ſua ſubſtantia, ſive ex fiſcali fuerit aliquid alienatum? Eodemque modo, & ſi a ſereniſſima Auguſta [26] aliquid alienetur, quare non eadem [27] utatur prærogativa? ſed Curatores noſtri, per quos ſolemus ſubſtantiam noſtram gubernare, neceſſe habeant in venditionibus rerum, & evictionem [28], & alia, quæ ſunt privatæ utilitatis pacta, emptionalibus inſtrumentis addere, vel quaſdam tales obligationes in alienationum inſtrumentis agnoſcere, vel in permutationibus, vel in tranſactionibus, ſi & hoc fuerit celebratum: hoc enim eſt eorum, qui nec majeſtatem Imperialem agnoſcunt, nec quantum inter [29] privatam fortunam & regale culmen medium eſt, & qui noſtros Curatores, per quos res divinarum domuum aguntur, aliquibus injuriis, vel damnis afficere conantur. Quæ omnia reſecantes, per hanc generalem, & in perpetuum valituram legem ſancimus [30], omnes alienationes de aula præcedentes, ſive a noſtra clementia, ſive a ſereniſſima Auguſta conjuge noſtra, ſive ab his, qui poſtea digni fuerint nomine imperiali, ſive jam alienatum quiddam eſt, ſive poſtea fuerit, ſine omni inquietudine permanere, ſive res eis per noſmetipſos, ſive per procuratores (ex epiſtalmate [31] tamen noſtro) fuerint adſignatæ. Et nemo audeat eos, qui res accipiunt per quemcunque titulum alienationis, ſive mobiles, ſive immobiles, ſeu ſe [32] moventes, vel jura incorporalia, vel panes [33] civiles, judiciis adficere, vel ſperare aliquam contra eos eſſe ſibi viam apertam: ſed omnis aditus præcludatur, omnis motus, & ſpes hujus petulantiæ. Sed adverſus domos noſtras habeant intra quadriennium tantum ſecundum imitationem fiſci, quas exiſtimant poſſe ſibi competere actiones in rem, vel hypothecariam: ut ex noſtra juſſione [34] cauſa moveatur, & competentem mereatur effectum. Quod ſi quadriennium fuerit emenſum; nec adverſus domum noſtram habeat quis quamcunque actionem. Quia igitur multa ſcimus, tam noſmetipſos, quam ſereniſſimam Auguſtam conjugem noſtram variis perſonis jam donaſſe, & vendidiſſe, & per alios titulos adſignaſſe, & maxime [35] ſacroſanctis Eccleſiis, & xenonibus, & ptochotrophis, & epiſcopis, & monachis, & aliis innumerabilibus perſonis: & eandem liberalitatem ex noſtra ſubſtantia, ſive ſereniſſimæ conjugis noſtræ eſſe confectam: ſancimus etiam eos firmo jure habere quod conſecuti ſunt; ita ut contra illos quidem nulla moveatur actio: intra quadriennium autem ex præſenti die numerandum pateat omnibus aditus contra noſtras divinas domus ſuas actiones [ſuper eiſdem rebus movere: ſciturus, quod præfato quadriennio finito, neque adverſus domos noſtras aliquis eis reſervetur regreſſus. Cum enim multa privilegia Auguſta fortuna meruit [36], & in donationibus [37] ſine inſinuatione geſtorum omnem firmitatem habentibus, & ſuper rebus, quas pro tempore ſereniſſimus Princeps divinæ Auguſtæ conſtante [38] matrimonio donaverit, vel ipſe a ſereniſſima Auguſta per donationis titulum conſequatur, ut maneat illico donatio plena, nullo alio confirmationis tempore expectando: ita & hoc videatur imperiale eſſe privilegium. Qui enim [39] ſuis conſiliis ſuisque laboribus pro toto orbe terrarum die nocteque laborant, quare non habeant dignam ſua prærogativa fortunam? Quæ ergo pro Auguſto honore, & cautela res accipientium noſtra ſtatuit æternitas, hæc tam ſublimitas tua quam cæteri omnes judices noſtri obſervare feſtinent, ex eo tempore valitura quo nutu divino imperiales ſuſcepimus infulas. Dat. 5. Kalend. Decembr. *Conſtantinop.* poſt conſulatum LAMPADII, & ORESTIS VV. CC. 531.

TIT. XXXVIII.
NE REI DOMINICÆ [40] VEL TEMPLORUM [41] VINDICATIO TEMPORIS PRÆSCRIPTIONE SUBMOVEATUR.

Servi, liberti, vel coloni principis, & eorum ſoboles indebite ad aliquam dignitatem obrepentes, ad ſtatum priſtinum debent retrahi omni præſcriptione ſemota. Salic.

1. Impp. VALENS & VALENTIN. AA. ad Probum P. P. Galliæ.

SÆpenumero præceptum eſt, ut ſervi [42] atque liberti, colonique præterea rei noſtræ, necnon etiam eorum ſoboles, ac nepotes, quicunque de noſtris poſſeſſionibus receſſiſſent, ac ſe ad diverſa militiæ genera contuliſſent: cingulo, in quod obrepſerant fraudulenter, exuti, ſi ad aliquas fortaſſe tranſcenderint dignitates, omni temporis definitione ſubmota, noſtro patrimonio reddantur.

1 50. *Eclog.* 13. vide Cujac. *c.* 23. *de præſc.* & 5. *obſ.* 30. 2 Vacantium bonorum perſecutionem fiſcus quadriennali ſilentio amittit, *ut hic.* & *l.* 6. §. 7. *ff. ſi quis omiſſ. cauſ. l.* 18. *ff. de uſurpat. l.* 10. *ff. de diverſ. temp. præſcr. l.* 1. §. 2. *ff. de jur. fiſc.* Præſcribimus quadriennio rem fiſci adverſus ipſum fiſcum. Rem fiſci, puta res vacantes quæ Græcis πράγματα σχολάζοντα. *Synopſ.* 50. *tit.* 13. *c.* 1. 3 Vacantia bona qui ex beneficio principis promeriti ſunt, ſtatim domini fiunt & ſecuri adverſus fiſcum, *Ecl. d. loco.* 4 Hujus conſtitutionis meminit Juſtinianus §. 13. *verſ. conſtitutio autem divæ memoriæ Zenonis. Inſt. de uſucap. autor. Synopſ.* 19. *tit.* 23. *c.* 5. 5 Intellectum hujus & ſeq. leg. vid. apud Neoſtad. *deciſ. Cur. Holland.* 15. Anſ. 6 Vid. *l.* 93. *ff. de verb. ſign.* 7 De his qui emunt a fiſco, agitur hac lege, ut & ſequenti de his qui emunt ab Auguſto, vel principe, ejusve procuratoribus. 8 Pars major hujus conſtitutionis eſt de eo, qui rem alienam a fiſco emit. 9 Si cui res aliena a fiſco fuerit donata. 10 Qui rem alienam a fiſco comparat, aut quovis alio titulo habet, ſtatim ſecurus eſt adverſus dominum, vel creditorem hypothecarium. Olim neceſſaria erat ei præſcriptio quinquennii ex edicto divi Marci, ut *l.* 3. *S. ſi adverſ. fiſc.* 3. Harmenop. 3. §. 95. *Synopſ. illo c.* 5. dabatur quoque utilis actio. *l.* 13. §. 9. *ff. de pet. hered.* At enim dices etiam hodie emptores conveniri. *l.* 1. *S. de her. vel actione vend.* Quidam putant hic præſcribi adverſus dominium & hypothecarias actiones, non adverſus æs alienum. Putarim dictam legem primam abrogari. Nam ſi hic præſcribuntur hypothecariæ, æs alienum utique præſcribitur. Quid enim aliud hypothecarii creditoris perſecutio, quam æris alieni actio? Quid fiſcus? mox dicetur. 11 Actio in rem dominium, vel hypothecam perſequitur. 12 Serviana. §. *ult. Inſt.* & ibi Theoph. *de uſuc.* 13 Actiones in perſonam ſunt, vel civiles, vel prætoriæ, vel ex legibus vel conſtitutionibus deſcendunt. 14 Vid. Cujac. 10. *obſ.* 12. 15 Poſt quadriennium quam fiſcus rem alienam diſtraxit, vel donavit, dominis & creditoribus in fiſcum denegatur actio. 16 Confeſſio procuratoris Fiſci inter ſcripturas, ſtatim Fiſco præjudicat. 17 §. *ult. verſ. Noſtra autem conſtitutio. Inſt. de uſuc.* 18 Principis ex domo, vel ejus privata ſubſtantia, ex dominicis denique ejus rebus ſi quid alienabatur, id fiebat per comitem rerum privatarum & curatorem Dominicæ domus: habebat & Auguſta curatorem divinæ ſeu dominicæ domus ſuæ & quidem illuſtrem, *ut hic.* quod notandum. 19 *l.* 2. *S. h. t.* 20 Pertinet enim dicta lex 2. ad factas a Fiſco alienationes. 21 Vid. Zoannetum *rerum quotid. c.* 27. Bartholomæum de Las-Caſas *in tractat. An Principes ſubditos a regia corona alienare poſſint.* §. 3. Mod. 22 Emptori auferri non poteſt res aliena ei a Principe vel Fiſco vendita, *ut hic.* Quid ſi Princeps inferior & ſuperiorem recognoſcens quid vendidit? aliud dicendum, niſi in territorio ſuo Regalia & jura Fiſcalia exerceat: multo magis ſi ſuperiorem non agnoſcit & jura Regalia & Fiſcalia poſſidet a tempore, cujus memoria non exſtet, *c. ſuper.* 26. *Ext. de verb. ſign.* Quid ſi princeps mala fide vendidit: veluti ſciens rem alienam eſſe? ſuperiorem ſententiam locum habere non putat Bart. *in l. ult. S. ſi contra jus:* ut & quoties res Eccleſiæ, vel minoris vendita eſt a fiſco: his enim caſibus minores & Eccleſias reſtitui. *Gloſſ.* 12. *quæſt.* 2. *c. quousque. l.* 1. *S. ſi adverſ. fiſc.* Idem putant ſi princeps alienavit, nondum tamen rem tradidit. Bald. *in c.* 1. *in fin. de nova forma fidelitatis.* vid. Socin. *reg.* 342. 23 Idem locum habet in principibus inferioribus ſuperiorem non recognoſcentibus. vide Rol. a Valle 1. *conſ.* 29. *n.* 17. 24 Obſerva quibus de rebus hac conſtitutione agatur. 25 Dixi de hac ſententia ad *Novell.* 105. *c.* 2. §. 4. *circa fin.* ut breviter interea notemus, Nihil hic aliud dici, quam quod omnia tam fiſcalia quam patrimonialia (de his enim tantum hac lege agitur) principis eſſe intelligantur: alias quæ quisque privatus poſſidet, principis ſunt nudo imperio, non dominio. Scite Tertul. *lib. de Idololatria*, hanc adulatorum ferocem ſententiam pie ſic eludit, *Quid erit,* inquit, *Dei, ſi omnia ſunt Cæſaris?* 26 *l.* 31. *ff. de legibus. l.* 6. *in fin. ff. de jure fiſci.* 27 Imo non eadem utitur. *l.* 56. & 57. *ff. de legat.* 2. 28 Curatores vel procuratores rerum principis non cavent de evictione rerum a principe diſtractarum: & merito, cum emptores ſtatim ſecuri ſint. *l.* 13. *ſupr. de non numerata. l.* 2. *infr. de diſcuſſoribus. lib.* 10. *tit.* 30. *l.* 11. *infr. de ſuſceptoribus. lib.* 10. *tit.* 70. 29 Magnum medium eſt inter privatam fortunam & regale culmen. 30 Obſerva regulam. 31 Id eſt, juſſu, quidam legunt *epitagmate.* 32 Vide *l.* 93. *ff. de verb. ſign.* 33 De quibus alias dixi. 34 Privatus adverſus fiſcum litigaturus, ab eodem fiſco (ſicut libertus a patrono) veniam petere debet. Bald. *conſ.* 432. Bart. *conſil.* 18. Romanus *ſingul.* 9. 35 Principes locis & perſonis religioſis maxime donare ſolent. 36 Principes habent multa privilegia. 37 *l.* 34. *J. de donationibus.* 38 *l. pen. S. de donationib. int. vir. l.* 7. *S. de bon. quæ liberis.* 39 Privilegiorum cauſæ.

40 Id eſt, Principis privatæ. 41 *l.* 2. *J. eodem.* Templa paganorum intellige, quæ principes & imperatores facti Chriſtiani nonnunquam vendebant, ut & eorum jura. *l. ult. J. de fund. patrimonialibus. lib.* 11. *tit.* 61. *l.* 6. *J. de omni agro. lib.* 11. *tit.* 58. & *J. tit. de diverſ. præd. urban.* & *ruſt. templ. lib.* 11. *tit.* 69. *l.* 1. *C. Theod. de fide cathol.* 42 Servi liberti & coloni principis ab ejus poſſeſſione recedentes, & ad aliquam dignitatem obrepentes, ad ſtatum priſtinum retrahuntur omni præſcriptione ſemota. vid. *l.* 2. *S. comm. de uſucapionibus.*

Res

Res emphyteuticariæ Cæſaris, reipublicæ, vel templorum, nullo titulo oneroſo, vel lucrativo alienari poſſunt, ut præſcribantur. Bald.

2. Imppp. VALENT. THEODOS. & ARCAD. AAA. Dextro Comiti rerum privatarum.

UNiverſas terras, quæ a colonis, ſive emphyteuticariis dominici [1] juris, Reipublicæ [2], vel juris ſacrorum [3] templorum in qualibet provincia venditæ, vel ullo alio pacto alienatæ ſunt, ab his qui perperam atque contra leges eas detinent, nulla longi temporis præſcriptione officiente jubemus reſtitui: ita ut nec [4] pretium quidem iniquis comparatoribus repoſcere liceat. Dat. 5. Nonas Jul. *Conſtantinop.* VALENT. A. IV. & EUTROPIO CONSS. 387.

Deminutio cenſus ſoluti ad modum conſuetum reducitur, reſcripto obtento illicito non obſtante. Jacob. But.

3. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. ad Paulinum Com. dominicæ rei.

SI qua [5] [unquam] loca ad ſacrum dominium pertinentia cujuslibet temeritas occupaverit: ſecundum veteris cenſus fidem in ſua jura retrahantur. Reſcripta [6] igitur obreptionibus impetrata, cum præſcriptione longi temporis, & novi cenſus præjudicio ſubmovebit auctoritas tua: atque ita omnia ſuo corpori, quæ ſunt avulſa, reſtituet: neque enim incubatio [7] diuturna aut novella profeſſio, proprietatis noſtræ privilegium abolere poterit. Dat. 5. Kal. April. ARCADIO V. [8] & HONOR. III. AA. CONSS. 396.

TIT. XXXIX.
DE PRÆSCRIPTIONE XXX. [9], VEL XL. [10] ANNORUM [11].

Fundus ob tributa non ſoluta venditus, ſi in venditione non fuerint ſervata, vel non intervenerint a jure requiſita, vindicatur, niſi triginta annis ſit præſcriptus. Salic.

1. Impp. DIOCLET. [12] & MAXIM. AA. Arianæ.

CUm adſeveres, te abſente, eos qui oculos [13] prædiis tuis impoſuerant, operam dediſſe, ut annonariæ [14] collationis prætextu, vili pretio ab officio Præſidiali prædia tua diſtraherentur; ſi legitimi [15] temporis ſpatium ex venditionis die fluxit: qui provinciam regit, inter vos cognoſcet, & quod publico jure præſcriptum eſt, ſtatuet. Sin autem nondum ex die publicæ venditionis legitimum [16] tempus transmiſſum ſit: Judex examinatis allegationibus tuis, quod rei qualitas dictaverit, ſequetur: non ignarus ſi injuſtam eſſe emptionem perſpexerit, pretium quod pro vitioſo contractu datum eſt, ſecundum principalium ſtatutorum tenorem malæ fidei emptoribus reſtitui [17] non oportere.

2. Impp. VALENT. [18] & VALENS AA. ad Voluſianum P. P.

MAle agitur cum dominis prædiorum, ſi tanta precario [19] poſſidentibus prærogativa defertur, ut eos poſt [20] quadraginta annorum ſpatia qualibet ratione decurſa inquietare non liceat: cum lex Conſtantiniana jubeat ab [21] his poſſeſſoribus initium non requiri, qui [22] ſibi potius quam alteri poſſederunt [23]. Eos autem poſſeſſores non convenit appellari qui ita tenent, ut ob hoc ipſum ſolitam debeant præſtare mercedem. Nemo igitur, qui ad poſſeſſionem conductor [24] accedit, diu alienas res tenendo jus ſibi proprietatis uſurpet: ne cogantur domini, aut amittere quæ locaverunt, aut conductores utiles ſibi fortaſſis excludere, aut annis omnibus ſuper dominio ſuo publice proteſtari. Dat. 8. Kalend. Auguſt. VALENTIN. & VALENT. CONSS. 365.

Omnes actiones, quæ minori tempore non ſunt limitatæ, triginta annorum præſcriptione tolluntur. Salic.

3. Impp. HONOR. [25] & THEODOS. [26] AA. Aſclepiodoto P. P.

SIcut [27] in rem ſpeciales, ita de [28] univerſitate, ac perſonales actiones ultra triginta annorum ſpatium minime protendantur: ſed ſi qua res, vel jus aliquod poſtuletur, vel perſona qualicunque actione, vel perſecutione pulſetur: nihilominus erit agenti triginta annorum præſcriptio metuenda. † Eodem [29] etiam [jure] in ejus perſona valente, qui pignus, vel hypothecam non a ſuo debitore, ſed ab alio [per longum tempus] poſſidente nititur vindicare. † Quæ ergo antea non motæ ſunt actiones, triginta annorum jugi ſilentio, ex [30] quo jure competere cœperunt, vivendi [31] ulterius non habeant facultatem: nec ſufficiat precibus [32] oblatis ſpeciale quoddam (licet per annotationem) promeruiſſe reſponſum, vel etiam [in] judiciis allegaſſe: niſi allegato ſacro reſcripto, aut in judicio poſtulatione depoſita, fuerit ſubſecuta [per executorem] conventio: non ſexus fragilitate, non abſentia, non militia contra hanc legem defendenda, ſed pupillari ætate duntaxat [33] (quamvis ſub tutoris defenſione conſiſtat) huic eximenda ſanctioni. Nam [34] cum ad eos annos pervenerint, qui ad ſolicitudinem pertinent curatoris, neceſſario eis ſimiliter, ut aliis, annorum triginta intervalla ſervanda ſunt. † Hæ [35] autem actiones annis triginta continuis extinguantur, quæ perpetuæ videbantur, non illæ, quæ antiquis temporibus limitabantur. Poſt hanc vero temporis definitionem nulli movendi ulterius facultatem patere cenſemus, etiamſi ſe legis ignorantia [36] excuſare tentaverit. Dat. 8. Kalend. Decemb. *Conſtantin.* VICTORE, & SYMMACHO CONSS.

Omnes actiones, etiam ſi jus publicum concernant, quæ triginta annis, vel paucioribus non tolluntur, quadraginta annis excluduntur. Salic.

4. Imp. ANASTASIUS [37] A. Matroniano P. P.

OMnes nocendi [38] quibuslibet modis artes omnibus amputantes, cunctas quidem temporales [39] exceptiones quæ ex vetere jure, vel ex principalibus decretis deſcendunt, tanquam ſi per hanc legem ſpecialiter, ac [40] nominatim fuiſſent enumeratæ, cum ſuo robore durare, & ſuum cunctis, quibus competunt, vel in poſterum competere valuerint, pro ſuo videlicet tenore præſidium in perpetuum deferre decernimus. Quicquid autem præteritarum præſcriptionum, vel verbis, vel ſenſibus minus continetur, implentes, per hanc in perpetuum valituram legem ſancimus [41], Ut ſi quis contractus, ſi qua ſit actio, quæ cum non eſſet expreſſim ſupradictis temporalibus præſcriptionibus concepta, quorundam tamen vel fortuita [42], vel excogitata [43] interpretatione ſæpe dictarum exceptionum laqueos evadere poſſe videatur, huic ſaluberrimæ noſtræ ſanctioni ſuccumbat, & quadraginta annorum curriculis proculdubio ſopiatur: nullumque [44] jus privatum *vel publicum* [45] *in quacumque* cauſa, vel quacumque perſona [46], quod prædictorum quadraginta annorum extinctum eſt jugi ſilentio, moveatur: ſed quicumque ſuper quolibet jure quod per memoratum tempus inconcuſſum & ſine ulla re ipſa illata judiciaria contentione poſſedit, ſuperque ſua conditione [47] qua per idem tempus abſque ulla judiciali ſententia ſimili munitione potitus eſt, ſit liber, & præſentis ſaluberrimæ legis pleniſſima munitione ſecurus. Dat. 4. Kalend. *Conſtantinop.* * OLYB. V. C. CONSS.

5. Idem A. ad Thomam P. P. per Illyricum.

PRæſcriptionem quadraginta annorum ab his, qui ad curialem [48] conditionem vocantur, opponi non patimur, ſed genitalem ſtatum ſemper eos agnoſcere compelli ſancimus. Sacra etenim noſtræ pietatis lex de aliis loquitur conditionibus: nec anterioribus conſtitutionibus per eandem novellam legem derogatur, quæ manifeſtiſſime curiales, & liberos eorum, exploſis temporalibus præſcriptionibus, patriis ſuis reddi præcipiunt.

Prædii tributarii dominium præſcribi poteſt, canon ejus non poteſt.

6. Idem A. Leoni P. P.

COmperit noſtra ſerenitas, quoſdam ſacratiſſimam noſtræ pietatis conſtitutionem [49], quæ de annorum quadraginta loquitur præſcriptione, ad præjudicium etiam publicarum [50] functionum ſolutionis trahere conari: &, ſi quid per tanti vel amplioris temporis lapſum minime, vel minus quam oportuerat tributorum nomine ſolutum eſt, non poſſe requiri, ſeu profligari contendere: cum hujuſmodi conamen

1 *Dominicis reipublicæ*, ita legunt veteres. Cujac. 18. *obſ.* 22. Emphyteuticarii dominici, id eſt, rei privatæ. 2 Vide *l.* 6. *J. de operibus publicis.* 3 Hæc vox abeſt a veteribus libris, ut Cujac. monet *hoc tit.* & 18. *obſ.* 22. 4 *l.* 23. *S. de rei vindic.* vid. *l.* 1. *in fin. J. tit. prox.* 5 *l.* 15. *C. Theod.* 10. *tit.* 1. *l.* 2. *J. de fundis & ſaltibus rei domin. lib.* 11. *tit.* 66. 6 Vide Papon. 3. *Not. c. des lettres de fief. fol. de aſſignation.* & *l.* 1. *J. de annonis, & tribut.* 7 Incubare (ut & habere) eſt naturalis & civilis poſſeſſionis, Tenere naturalis, Poſſidere civilis. In malam vero partem incubare eſt, mala fide poſſidere, & Servio recte tyrannus, incubator imperii qui & ſubſeſſor. Rex poſſeſſor. Auguſtinus, *homil.* 30. Nec erit vox juſti poſſeſſoris, ſed impudentis incubatoris improbitas. vide quæ notavi *ad l.* 38. *ff. de peculio.* Cujac. 42. *d. l.* 38. & 8. *ad Afric. fol.* 166. 8 IV. *d. l.* 15. *C. Theod.*

9 50. *Ecl.* 14. 15. vide Cujac. 30. *de præſc.* & 9. *obſ.* 24. His ſpatiis temporum res immobiles præſcribimus, ſine titulo, cum bona tamen fide. Hujus præſcriptionis autor fuit Theodoſius magnus Novell. Valent. & Theod. *de* 30. *ann. præſcript.* in qua hoc jus Valentinianus tribuit patri ſuo, ne alioquin colligas Theodoſio patri, id eſt, anteceſſori. vide *l. ult. S. de edendo.* His an contraria ſit lex 1. 2. *J. h. t.* dicemus ibi. Cæterum hanc præſcriptionis legem Caſſiodorus *lib.* 5. vocat patronam humani generis. Sidonius quoque *lib.* 8. omnem litem ea aboleri dicit. His adde Procop. 1. & 3. *de bello Wandal.* Suidam *in Priſco Emiſeno.* 10 *Eclog. d. loco.* Cujac. *c.* 31. *de præſcriptionibus.* Autor præſcriptionis 40. annorum Anaſtaſius, *l.* 4. 5. 6. *J. h. t.* vide tamen *l.* 1. & 2. *infr. h. t.* 11 Suntne majores præſcriptiones quam 30. vel 40. annorum? ſunt ſane, & quidem centum annorum Eccleſiis inductæ, de quo tamen vid. *Novell.* 9. & Cujac. *c.* 34. *de præſcript.* ſed & Baſil. Prophyrogenneta vetat inopes damno a potentioribus affectos repelli præſcriptione 40. annorum. 1. Harmen. 3. §. 75. 12 Superius dixi Theodoſium Magnum autorem fuiſſe præſcriptionis 30. annorum: Anaſtaſium 40. Si ita eſt, quo jure hæc conſtitutio de præſcriptione 30. vel 40. annorum ad Diocletianum pertinebit? Juſtinianus hic legitimum, ſeu longum tempus inflectit ad 30. annos. vide Cuj. 18. *obſ.* 27. 13 Oculos prædiis alienis hic imponit qui captata occaſione abſentis debitoris contra legem interdicti emit viliore pretio in fraudem fiſci & debitoris fiſcalis. Ab hujuſmodi emptore dominus intra longum tempus, *l.* 7. *J. de agricolis & cenſit.* (quod hic inflectitur ad 30. annos) prædia ſua vindicare poteſt, ne quidem reſtituto etiam pretio. 14 Fundus ob tributa non ſoluta venditus, ſi ſolennitates omiſſæ fuerint, vindicari poteſt, niſi 30. annis ſit præſcriptus. 15 Id eſt, longi temporis. Cujac. *d. loco.* 16 Dixi ad *l.* 23. *S. de rei vind.* adde *l.* 7. *S. ad SC. Velleian. l.* 2. *J. ſi vend. pig. l.* 19. *in fin. J. de evict.* 17 Vid. *l.* 1. *ſupr. de uſucap.* 18 Hæc lex fuit de præſcriptione ſexaginta annorum, quæ a Juſtiniano hic inflectitur ad præſcriptionem 40. annorum. ut mox dicam. 19 Præſcribere annis quadraginta rem non poteſt, qui eam *precario* poſſidet. 20 Præſcriptio 40. annorum, de qua hic agitur, introducta fuerat conſtitutione Conſtantini, cujus pars reſtat *in lege ult. ſupr. de long. temp. præſcript. quæ pro libert.* 21 Præſcriptione 40. annorum, rem adquirit, qui eam rem ſibi non alteri poſſedit. 22 Conductores rem non ſibi, ſed alteri poſſident, quia ob hoc ipſum quod tenent, pactam præſtant mercedem. 23 Poſſidens alii non ſibi non præſcribit. *l.* 7. §. 11. *ff. comm. divid.* 24 Præſcriptionem nullam temporis objicere poſſunt, qui tanquam conductores poſſident, qui non ſibi, ſed aliis poſſident. *Synopſ. Baſil.* 50. *tit.* 15. *cap.* 4. 25 *Theodoſius A.* ita legendum eſſe monet Cujacius *cap.* 30. *de præſcript.* Theodoſ. A. A. P. F. P. *l.* 1. *C. Theod. de act. certo tempore finiendis.* Arcad. & Honor. *Hal.* 26 Junior ſcil. non Theodoſius magnus, cujus conſtitutionem non habemus. Cujac. *hic. l.* 18. *obſerv.* 26. Eſt enim præſcriptionis triginta annorum autor Theodoſius magnus, ut ſæpius diximus. 27 Actiones in rem perſonales & mixtæ tolluntur triginta annis. vide Cuj. *c.* 30. *de præſcript.* 28 Quæ περὶ ὁμάδος: ut in rem ἰδικαὶ. *Synopſ. Baſil. d. tit.* 15. *c.* 5. Goth. Explicationem hujus legis vide apud Zanger. *de Except. part.* 3. *cap.* 10. *num.* 22. Anſ. 29 Præſcriptio igitur 30. & 40. ann. non currit adverſus pupillos, ſed adultos. 30 *l.* 1. *in fin. J. de annali except.* 31 Actiones vivere dicuntur. Actionibus ſua vita eſt. 32 *l.* 2. *S. quando libell. princip. oblat.* 33 Præſcriptio triginta annorum non currit adverſus pupillos, etiamſi currat adverſus minores vigintiquinque annis. vide tamen *l.* 5. *S. in quibus cauſ. in integr. reſtit.* 34 Pignus & hypothecam a tertio poſſeſſore creditor poſt longum tempus avocare non poteſt, *ut hic. Syn. Baſil. d. c.* 5. vid. *l.* 7. *ff. h. t.* 35 Præſcribuntur annis triginta hæ actiones quæ olim perpetuæ erant: non quæ antiquis temporibus circumſcriptæ. 36 Juris ignorantia nocet, id eſt, non prodeſt. vid. Cujac. 5. *obſ.* 39. 37 Anaſtaſius autor præſcriptionis 40. annorum, *ut hic*, & *l.* 5. 6. *J. h. t.* 38 Ad intellectum hujus legis vid. Zanger. *de Except. part.* 3. *cap.* 10. *num.* 23. Anſ. 39 Quæ ſcil. trigeſimum annum non excedebant. 40 Ut *l.* 2. *S. de quadriennii præſcript.* Clauſula derogatoria ſtatutorum. 41 Præſcribitur annis quadraginta omnis actio, quæ prava quorundam interpretatione annis triginta non eſt extincta, *ut hic. Synopſ. d. tit.* 15. *c.* 6. & 1. Harm. 3. §. 74. 42 Græci τυχοῦσαν, id eſt, qualemcunque appellant. 43 Excogitata interpretatio, ſubtilis & calumnioſa. 44 Inde colligunt, Malæ fidei poſſeſſorem jure civili præſcribere. 45 *l. ult. J. de fund. patr. l. ult. infr. de fund. rei priv.* excipe tributorum cauſam. *l.* 6. *J. h. t.* 46 Ut ſi quis dicatur eſſe cohortalis. *l.* 12. *J. de cohortalibus.* ſervus navicularius, fabricenſis, metallarius, murilegus, gyneciarius, vel alterius cujuſcunque conditionis. 47 Præſcribitur ſtatus controverſia annis quadraginta, *ut hic. Syn. d. c.* 61. 1. Harm. 3. §. 56. videtur & hoc dici: vindicationem in ſervitutem extingui, ſi quis annis quadraginta in poſſeſſione libertatis fuerit. Græci tamen ſervum fugitivum excipiunt; quando ſcil. non deſiit a domino poſſideri vendicationi hujus rei quam poſſidere deſiit, præſcriptio opponi non poteſt. *l.* 2. *S. h. t.* 48 Curialis revocatur ad ſuam curiam, nihil eum juvante præſcriptione quadraginta annorum, *ut hic*, & *l.* 55. *J. de decurionib.* vide *Novell. Majoriani de curialibus.* 49 *l.* 4. *S. h. t.* 50 Præſcribi quadraginta annis publicæ functiones (quas Græci δημοσίας συντελείας καὶ πολιτικὸν κανόνα appellant) non poſſunt. *Syn. d. c.* 6. *in fin.* 1. Harm. 3. §. 58. & 74. & 2. *tit.* 1. §. 52. Imo poſſunt præterita tributa non exacta præſcriptione quadraginta annorum adquiri. *l. ult. infr. de fundis patrimonialibus. Schol. Syn. d. c.* 6. 1. Harm. 3. §. 57. Diſtinguenda præterita ſunt a futuris: Nam futuri temporis functiones poſſunt etiam exigi poſt quadraginta annos, niſi fuerint poſſeſſori a principe donatæ. Scholiaſtes *illo loco.*

men